

SECRETARIATUS AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM.

De Non Catholicis ad Concilium invitandis.

CONCLUSIONES

Conclusio I:

Christiani non catholici qui in Concilio per suos delegatos adesse desiderant, admitti possunt, modis et condicionibus opportune statuendis.

Conclusio II:

Praemissa generali aliqua annuntiatione possibilitatis ut christiani non catholici aliquos mittant qui in Concilio adsint, ope Secretariatus indagetur mens singularum communitatum fratrum separatorum de invitatione facienda et de specialibus condicionibus personarum et rerum uniuscuiusque communitatis. Qua exploratione facta ad singulas communitates quae invitari desiderant, mittatur formalis invitatio eo modo qui cuique communitati congruus sit.

Conclusio III:

De invitandis agendum est cum Praesulibus maiorum Ecclesiarum Orientalium et cum Moderatoribus maiorum Confoederationum protestantium, ut mittant 2 vel 3 viros quos maxime aptos censebunt, ab iis libere designandos, salva facultate Secretariatus alios quosdam paucos adiungendi qui de motione oecumenica maxime curam habent.

Conclusio IV:

- 1) Statuitur invitatos interesse posse non solum in functionibus et Sessionibus coram Summo Pontifice factis, sed etiam in aliis in quibus disputationes et suffragationes observare valeant. Quaenam sint hae Sessiones accuratius statuatur, ubi primum Ordo Concilii (regolamento) definitus erit.
 - 2) De materia Sessionum quibus non intererunt, ope Secretariatus instruentur, qui ad hunc finem etiam Concilii Theologos et Iurisconsultos rei de qua agitur maxime peritos invitare poterit, immo aliquando etiam ipsos Patres Concilii.
- In his coetibus invitati proponere et explicare poterunt etiam

*Cardinali
Beas*

PATRIMONIO UC

sua desideria, animadversiones et propositiones. De his tamen nulla fiet discussio, sed a Secretariatu ad competentem Deputationem seu Commissionem deferentur.

3) In Sessionibus in quibus adesse poterunt, invitatis nullum ius est interloquendi vel disputandi.

---oOo---



PATRIMONIO UC